DE

JODII EFFECTIBUS ATQUE USU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. MENSIS JUNII ANNI MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROLUS JULIUS TELKE

OCCIDENTALI - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

HENRIC. BAUMANN, MED. ET CHIR. CAND.
ARMIN. BENZLER - - - -
GEORG. MUERMANN - - - -

BEROLINI,

TYPIS NATORFIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ET ORNATISSIMO

C. W. KRAJEWSKI,

MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ DOCTORI, SUPERIORIS ORDINIS APUD TRIGESIMAM TERTIAM LEGIONEM MEDICO, AQUILÆ RUBRÆ DE QUARTA ET CRUCIS FERRÆ DE SECUNDA CLASSE EQUITI ETC.

FAUTORI HUMANISSIMO AD CINERES USQUE SUMME VENERANDO.

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, EXPFRIENTISSIMO

EDUARDO LANGE,

UTRIUSQUE MEDICINÆ DOCTORI, MEDICO IN OCCIDENTALI-BORUSSIA FORENSI.

AMICO DILECTISSIMO OPTIME DE SE MERITO.

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO.

D. D. D.

AUCTOR.

Quum jam satis constet, quantis incrementis et emolumentis omnes fere litterae et artes hoc saeculo et favore principum et ardore cultorum gaudeant, nullum tamen studium tam laetum et prosperum successum habuit, quam secretorum naturae investigandorum cura, qua peritis contigit, ut novissimo temporis spatio plura etiam elementa chemica invenirent, medicis tum, ut eorum usum et efficaciam in re medica experientia edocti ostenderent. Sed, ut iam ad meam mihi propositam quaestionem redeam, inter haec omnia elementa nullum mihi tanta cura et studio dignum visum est, quam Jodium, quoniam frequentissime a medicis adhibitum eorumque sententia probatum sit. Attamen etiam alii excellentes artis medicae consulti exstitere, qui ex ejus usu maxima detrimenta prodire censuerunt, quod plane rejiciendum et in dies magis magisque laudandum est illud medicamen in diversissimis morbis probatissimum.

Ceterum etiam negari non potest, quin Jodium, etiamsi in nonnullis morborum generibus praestantissima commoda praebuerit, usu incautiore adhibitum, mala interdum consequantur, aegrotorum vitae periculosiora, quam morbo, priusquam Jodio curari coeptus est, adhaeserunt. Quo in sensu Heyfelder de medicaminum abusu dicit: „quomodo medi-

camina nova, quae semel in consuetudinem vocata sunt, omnibus medeantur, mox videbis si, ad Jodium, Acupuncturam, Arsenicum, Lactucarinm et Creosotum respexeris. Quavis aestate non parva feminarum Jodii veneno imbutarum copia Pyrmontii etc. balnea occupat, quae adhuc macie ex immodica Jodii usura producta laborant et frustra sibi in fontibus martiatis quotannis recentem vigorem requirunt."

Accuratioribus Jodii effectuum perscrutationibus nunc reservatum erit, aut ejus probationem aut rejectionem penitus certiorem facere, quod, quoniam tam frequenter in usum vocatur, mox erit exspectandum.

Mihi, quantacunque opera fieri potuit, praemissa et Jodii et praeparatorum ejus praecipue in usu medico adhibitorum descriptione chemica, observationes diversorum medicorum illustrium de ejus vi alia in aliis morbis colligere et quantum fieri potest, curationis nonnullas regulas in lucem proferre liceat. Quare lector candidus faveat meis in hac quaestione propositis et benevolo animo ea accipiat, quae dissensione doctissimorum virorum in ambiguitatem quandam rejecta, mihi in his, quae sequuntur, proposita sunt.

Jodium, Jodeum, Jodum, Jodina, Jonium, Varecum Courtois[1]) Parisiensis anno millesimo octingentesimo undecimo primus invenit, quum Vareci lixivium (ex combustione plurium Fuci generum productum) fervens acido sulphurico tractasset, qua in inquisitione Clement[2]) et Derosne declararunt: vapores violaceos exorientes vicinis corporibus frigidis grisearum splendidarumque lamellarum

1) Annales de Chemie Tom. 88. pag. 304.

2) Trommsdorf's Journ. d. Pharmac. 11. Bd. 1. St.

forma adhaerere et ex propria materia prodire; postea chemici celeberrimi maximum studium hac in quaestione posuerunt. Humphry Davy et Gay Lussac naturam hujus substantiae chemicam accuratius detexerunt, quorum posterior etiam similitudinem magnam cum Chloro patefecit et Jodium corporibus elementariis adnumeravit, Berzelius[1]) Illustrissimus et John contra Jodium ex corpore elementario et oxygenio constare putarunt, sed recentiora experimenta hoc non minus refutarunt, quam quod Cantou[2]) censuit, Jodium esse corpus compositum majore Hydrosulphureti in Chlorata vi ortum, quare etiam semper aquis sulphuratis, salia muriatica continentibus, inesset.

Jodium, Metalloïdeum sua natura non solum Chloro, sed etiam Bromio Fluorique simile est et ita quidem, ut substantiae hae classem propriam efficiant, quibus iam aëris temperatura vulgari facultas eximia insita est, primum affinitatem ad corpora plurima maxime praevalentem ostendere, deinde cum hydrogenio acida procreare, denique cum metallo simplici salia efficere. Jam ex ejus prima propria natura chemica satis patet, cur Jodium nunquam, etiamsi omnibus naturae regnis insit, merum inveniatur, sed contra semper cum aliis metallis conjunctum, praecipue cum Natrio et Kalio.

Hac in compositione (secundum Gaultier de Glaubry[3]) Kali hydriodicum) in plurimis Fuci speciebus[4]) reperitur, quae sunt: Fucus cartilagineus, rubens, membranaceus, filiformis, vesiculosus, saccharinus, digitatus, siliquosus, nodosus, serratus, palmatus (in primis), Filum etiam Ulva umbilicalis, Pavonia, Linza et Zostera oceanica. Praeterea Straub

1) Gilberts Annalen Bd. 49.
2) v. Graefe's und Walther's Jorn. 2. Bd. 4. Heft.
3) Trommsdorf's Journ. d. Pharmac. 25. Bd. 1. St. p. 249.
4) Thenard's Lehrbuch d. Chemie, übersetzt von Fechner. Bd. 1. S. 243.

Jodium in Helmintochorto iam prius demonstravit, quam hunc plurium Fucorum colluviem esse invenerant. Tum Spongiae marinae secundum Tyfe [1]) et Goebel [2]) Jodii magna copia inest, etiam aliis zoophytis uti Gorgonibus, Molluscis marinis, Sepiis et inter illas forsan etiam iis, quae violaceo colore gaudent aut tactu liquorem crassum Jodii colore et gustu acri mari tradunt. Non minus in Helice ionthina, Buccino persico L., et aliis Buccini et Muricis speciebus, quae Fucis nutriuntur, invenitur et Chevreul in capitis ossibus Astaci marini et aliorum Astaci generum Jodium detegit, qua ratione etiam secundum Holl succus Juli fœtidissimi proprietates liquoris Jodii divitis praebet.

Quanquam Jodium in tam multis mari procreatis iam diu cognitum erat, tamen multi chemici excellentissimi in aqua marina ipsa Jodium detegere frustra conati erant, quod autem Balard [3]) posteaque Charpentier ibidem invenerunt. Non minoris momenti arti medicae est, Jodium etiam Sali gemmeo, fontibus salinis et aquis mineralibus admixtum esse, uti Fuchs in sali gemmeo comitatus Tyrolinensis, Krueger, Meissner, Liebig, John, Aschoff, Boussigault, et van Mons [4]) in fontibus salinis, Egidi in fontibus mineralibus prope Ascolum, Angelini [5]) in fonte salino apud Sales in Pedemontio, Vogel in fonte salubri Bavariae, Wagner [6]) in fonte salino apud Hall in Austria, Cantou [7]) in fonte sulphurato ad Castel nuovo d'Asti et Berzelius in

---

1) Gilbert's Annalen. Bd. 66. S. 242.
2) Buchner's und Kastner's Repert. 11. Bd. S. 44.
3) Annal. de Chemie etc. 1825. p. 180.
4) Kastner's Archiv, 3. Bd. 1. Heft. p. 82.
5) Repert. med. chirurg. di Torin. 7br, xbr 1823.
6) Medicinische Abhandlungen über das Haller - Jodwasser. 1830. 1831.
7) Memor. della Societ. real. etc. vol. 29. 1824.

Ferdinandi fonte Mariae balneorum invenerunt. Denique adhuc Straub in terra incendiaria fossili, Vauquelin [1]) in aëre argenteo quodam mexicano et Cochler [2]) in Kadmio silesiaco nonnihil Jodii detexerunt.

Combustione plurium Fuci specierum illa Soda cruda sub nomine Kelp in Anglia, Varec in Gallia nota oritur, qua ad Jodium procreandum utuntur. Illa caerulea grisea, in aëre humida nigraque fit atque facile in pulverem mutari potest, aqua seu acido sulphurico humefacta odorem Gas hydrosulphurati secundum Pfaff efficit. Solubilis Sodae pars lixiva, repetita evaporatione crystallisationeque maximae Natri carbonici partis et aliorum salium libera fit, atque lixivium praeter minorem Natri carbonici, Chloreti et Sulphureti Natrii etc, partem etiam Jodetum Kalii continet. Hoc cum acido sulphurico concentrato mixtum et in destillationis apparatu usque ad ebulliendum calefactum, acidum hydrochloricum, hydrothionicum et hydriodicum emittit, aquae dissolutae ope ipsius oxygenium cum Kalio miscetur, dum hydrogenium cum his negative magis electricis corporibus se coniungit. Eodem momento autem acidum hydriodicum decomponitur, hydrogenium hujus cum acidi sulphurici oxygenio aquam producit et acidum sulphurosum et Jodium libera fiunt, quod apparatum pulchris violaceis vaporibus implet, recipientis parietibus cum crystallis parvis adhaerens. Jodium hac ratione paratum, ut Jodeti Bromii liberum fiat, charta bibula premitur et in vase bene obturato sublimatur. Lamellae crystallinae Jodii sunt opace griseae, Graphytae similes, ut in commercio reperiuntur, sed excultae oblonga octaëdra cum basi rhomboïdea profecrunt, splendorem metallicum, pondus specificum, in temperatura 16,5°C, 4,946 et odorem Chloro similem praebent, eva-

---

1) Kastner's Archiv etc. 3. Bd. 3. Heft.
2) Gilbert's Annalen 1821. 1. Stück.

porant in temperatura aëris mediocri magis si humidae, liquefiunt 107° C, ebulliunt 175° C, et in Gas mutantur violaceo colore excellens adhuc gravissimum 8,695 ponderis specifici.

Jodium saporis radentis, acris, diu perseverantis, papyro, cuti fuscum colorem, aëre rursus evanescentem tribuens, electricitatem non ducens, aquae septem millies majore quantitate solvitur, eam croceam reddens et aliter se habens quam Chlorii solutio, nam neque colores vegetabiles pallescit, neque oxygenium solis luce emittit, qua autem colorem proprium amittit et tum acidum iodicum et hydriodicum continet; facilius solvitur in Alcohole Aethereque (decem partibus nempe). Oleum terebinthinae secundum Davy fere statim Jodium solutioni aquosae detrahit idque tam plane resorbet, ut argento et amylo non reperiatur. Magnam etiam affinitatem Jodium ad materias organicas, uti sacharum, gummi, gluten, amylum prae se fert, quorum praecipue amylum ratione sua ad Jodium memoratu dignum videtur, in illius enim solutione iam millionaria Jodii pars colorem subrubrum producere valet, Inulin, Bassorin et lichenis islandici amylum hac in ratione non sunt efficacia. Ad investigandas tam parvas Jodii partes methodus nunc describenda aptissima videtur: in lagena liquori investigando manganum superoxydatum immixtum cum acido sulphurico superfunditur et papyrum amylo soluto obtectum, obturamento affigitur, tempore brevi praeterlapso papyrus cœruleus fit, simulac Jodii particulae quam minimae exstant. Si Jodium cum Chloro coniunctum est et in hac coniunctione illud exploraturus es, secundum Balard amylum (quia Chloretum Jodii amylo non afficitur) in liquore cum acido sulphurico mixto coctione solvitur et deinde aqua Chlorata infunditur, ubi illo loco, quo liquores confluunt, color cœruleus apparet. Quomodo nunc amylum haec phaenomena producere possit, mihi ex sequentibus elucere videtur. Jam antea commemoravi acido sulphuroso, Jodetum amyli decomponi, nec minus acido phospho-

roso arsenicoso et hydrothionico, quibus Chlorum semper colorem reddit, et Hydrogenii quidem absorptione, quomodo etiam Jodeti amyli coloris mutationem calore provocatam et Chloro restitutam demonstrare possumus, quod autem acidum hydriodicum nunc exortum postulat; sin vero hoc aquae in elementa solutione procreatur necessarie autem acidum jodicum liberum fieri debet. In illo igitur experimento, a Balard proposito, majore Jodeti amyli aquae copia acidum hydriodicum et iodicum exoriuntur, quorum primo aqua Chlorata Hydrogenium absumitur et nunc haec Jodii pars liberata cum amylo rursus coniuncta illam coloris zonam provocat. Plures chemici recentiores in quibus etiam Berzelius Illustrissimus Jodetum amyli nullam chemicam coniunctionem sed uonnisi mechanicam colluviem putarunt, quod nostro tempore fere ad perspicuitatem prolatum maximi momenti in arte medica esse videtur, quum ex Jodeti amyli reactione in varias organicas materias facilem Jodii alienationem per has concludere possimus.

Mihi nunc autem, his omnibus praemissis perspicuum videtur: Jodium nunquam purum in organismo effectum exhibere, sed semper in statu dissoluto quo acidum jodicum et hydriodicum exoritur et medico certe non idem est, utrum Jodium an acidum jodicum an hydriodicum adhibeat. Diversa non raro contraria medicis observata forsan in his causam magni momenti teneant; si enim concedimus, Jodium iam in aëris temperatura mediocri evaporare, in aqua solutum iam solis luce colorem amittere et in acidum iodicum atque hydriodicum mutari, non difficile demonstrari posse videtur, eandem mutationem etiam in organismo progredi, calore iam adaucto varii Jodio liquores organici admiscentur, quibus facillimae decompositionis facultas forsan non desit. His gravioribus, ut mihi videtur, causis adductus nunquam Jodium purum ad morbos curandos adhiberem. Experientissimus

Lugol, qui Jodium in tam multiplici forma adhibuit, tamen nunc semper Jodium cum Kali hydrïodinico felicissimo eventu ordinat, quia, ut ipse dicit, Jodium hac in coniunctione melius solveretur et, ut mihi videtur, quia forsan usu Jodii meri non tam excellentes effectus videret. Omnia haec certe, ut credo, basi chemica nituntur et forsan non parvum arti medicae incrementum existeret, si chemici hoc accuratius explicassent, ut certum et aptum remedium in tam difficillimis morbis haberemus, cujus usum nulla detrimenta timenda sequerentur.

Acida Jodii tam oxygenata quam hydrogenata omittens, me ad illa salia convertam, quae ex acidi hydrïodici cum aliis metallis coniunctione gignuntur, inter quae praecipue Kali hydrïodicum accuratius describendum erit. Jodetum Kalii oritur, si tanta Jodii quantitas in Kali caustico solvitur, ut liquor coloratus fiat, solutio tam diu evaporatur, donec Kali iodicum apparet, quod secernitur et deinde liquor Kali hydrïodicum continens usque ad siccitatem vapore dissipatus et massa salina liquefit. Est crystallinum, splendore matricis margaritae, aestu majore volatile, in aqua valde solubile et expositum aëri fit humidum. Propter leviorem solubilitatem, minoremque decomponendi facultatem Kali hydrïodicum praecipue ad usum medicum aptum. Caeterarum Jodii cum metallis coniunctionum nomina tantum afferam et de eorum usu, si ad singulas medicinales formulas provenero, loquar, quae sunt: Jodetum Arsenici, Baryi, Bromii, Cyani, Ferri, Hydrargyri, Saturni, Sulphuris et Zinci.

DE JODII EFFECTIBUS.

De Jodii effectibus medici valde dissentiunt, alii enim remedium periculosissimum fere nunquam ad curam usitandum, alii autem innocentissimum sine ullo incommodo sumendum esse putarunt. Quamquam negari non possit, Jodium omnino ad acria excitantiaque remedia attinere, tamen ei vires saluberrimae, quasi specificae, in quibusdam morbis tribuendae sunt, quae nunquam medico curanti desunt, si modo caute et ratione constitutionis, Idiosyncrasiae etc. habita in usum vocatur. Totum corpus celeriter penetrare videtur, nam post Jodii grani unius usuram mox in urina ejus vestigia inveniuntur, quasi Jodii particulae in sanguine diffusae per totum corpus distribuantur. Si ad effectus omnino respicimus magnam cum Hydrargyro similitudinem videmus, utrumque resorptionem maxime adauget, attamen ab eo valde differt, et in quibusdam casibus Jodium illius effectum tollere videtur. Eosdem effectus etiam Jodium proferre videtur, si externe adhibetur, seu methodo endermatica, seu unguento, seu balneis, quod Gerhard affirmat et in errore forsan versantur, qui nonnisi usum externum laudant. Jodium purum minore copia cuti illitum eam, uti alias materias organicas, fuscam reddit, qui color, nonnullis diebus praeterlapsis rursus paulatim evanescit. Innunctione repetita epidermis squamulis dissolvitur et usu continuo partim chemice deletur, rimae oriuntur, ex quibus liquor serosus stillat, partibus proximis dolorificis rubicundisque factis, crustae fuscae apparentes sine cicatricula decidunt. Balnea iodurata initio localiter cutem afficiunt, dein, ut balnea mercurialia organismo magnas Jodii copias sine periculo imprimunt.

Ut accuratius de Jodii effectibus iudicare possimus, ad singula corporis systemata eodem affecta progrediamur.

I. Systema nervorum.

Nonnulli medici et inter eos praecipue Jahn[1]) et Baup[2]) omnem Jodii in hoc systema effectum principalem denegarunt, ille enim contendit: ob nutritionis turbationem etiam nervorum actionem turbari, quia nervi materiam ad integritatem necessariam in forma non apta accipiant. Baup dicit: Jodium systema lymphaticum irritans, nimis extenso usu sympathice etiam nervorum systema aggredi, ideoque tremorem, debilitatemque, uti Mercurius provocare.

Cui autem contrarium ex observatione Dr. Dürr elucet, in qua Jodium tantum externe adhibitum sine ulla digestionis turbatione convulsiones vehementissimas, quasi epilepticas, procreavit, quare mihi accuratiore descriptione digna videtur: puella, decem annos nata, debilis gracilisque ultimis tantum annis constrictionibus pharyngis spasticis laborans, subito motibus convulsivis praecipue brachii sinistri totiusque faciei, anxietate, pavore et cordis palpitatione vexabatur, conscientia non turbata. Paroxysmi forsan sexies per diem instrantes, stimulo prodientes verminali parentes habuerunt et puellae semen Cynae dederunt; die secundo duo paroxysmi adfuerunt. Tertio die quum Dr. Duerr eam vidisset, statum praesentem ita invenit: bulbum oculi sinistri huc illuc volventem, faciei musculos distractos, pupillas coarctatas, angulum oris sinistrum detractum, cor palpitans, respirationem brevem frequentioremque, pulsum plenum celerem; frontem, collum, pectus sudore obtectum, faciem ardentem, conscientiam et sensibilitatem normalem. Post quemque paroxysmum tremens lacrymansque puella de doloribus et paralyseos sensu in brac-

1) Horn's Archiv, 1829 März, April.

2) Hufeland's Journ. 1822 Juni. S. 57.

3) Kemp's Jahrbuch der in- und ausländ. Medicin. Bd. XIV. 1837 Nov. S. 59.

chio sinistro conquerebatur; abdomen parvum molleque, lingua albide obtecta, vomituritio et iam vomitus cum elevatione apparebat. Omnia vermium symptomata deerant, eodem modo diaetae vitia et refrigeratio, quare phaenomena tantum ex constitutione debili et pubertatis periodo incipiente quaerenda fuerunt; hac in ratione cura instituta nullum effectum praebuit. Mane duo paroxysmi et vespere unus, mortem propinquam esse indicans, spuma ante os et conscientia deleta. Perscrutatione nunc accuratissima instituta parentes dixerunt: puellam ante tres dies mane et vespere cum unguento Kali hydriodici (scrup. dimid. in axung. uncia dimid.) infricuisse. Jam prius puellam nonnullos dies post quamque frictionem, strumula imminuta, de pharyngis siccitate conquestam esse et spasmo anxietateque laborasse, haec autem mala non diu perseverasse. Glandula thyreoïdea erat dura cartilagini thyreoïdeae affixa et nucis avellanae magnitudinem non excedens. Sinapismus cum frumenti spiritu applicatus, post duodecim horas repetitus, cum aptis remediis antispasmodicis malum sustulit et strumulam revocavit. Dr. Dürr hasce convulsiones Jodii usui plane adscribit et magnam attentionem etiam in Jodii usu externo commendat.

Minores Doses secundum Wutzer fere nullum effectum sensibilem in nervorum systemate ostendunt. Majores autem vel minores, si nimis longo tempore adhibentur, efficiunt: statum omnino sensibilem, majorem mobilitatem voluntariam, tristem, melancholicam animi indolem, ad lacrimandum propensionem, artuum debilitatem, tremoremque et saepius stuporem; etiam paralysin, visus hebetudinem, cephalalgiam, baryecoeam, anxietatem, cordis palpitationem, somnum inquietum. Post Doses maximas mors cum affectionibus nervosis quam vehementissimis intrat.

II. Systema vasorum sanguiferorum.

Omnes medicorum observationes eo conveniunt, Jodio magnam vasa incitandi vim inesse, tamen parvis Dosibus adhibitis non perspicuam, majoribus autem, phaenomena hanc demonstrantia intrare. Pulsus enim fit plenior et frequentior, major vel minor motus febrilis (febris, sic dicta, Jodica) cum congestionibus ad pectus et genitalia coniunctus. Dosibus adauctis et diu adhibitis pulsus manet incitatus, reactio vasorum magis prolucet et Coïndet nunc organismum Jodio saturatum declarat, congestiones fortiores etiam haemorrhagiae oriuntur, etsi nondum Jodium omittitur, Hypersthenia, ut ita dicam, debilitas universalis efficitur, quam cachexiae e. g. hydrops sequuntur. Nonnullis magis venae irritantur, quam arteriae et hac ratione sibi haemorrhagias declarant, dum alii vasorum irritationem sed cum sanguinis mutationem uti Harless proponunt.

F. Jahn [1]) contendit: illam sententiam, Jodium arteriarum systema vehementer excitare in magno errore positam esse, ista enim phaenomena ex organorum structura prodire omniaque Jodio mala sanata semper cum chronica inflammatione coniuncta esse; symptomata sic dicta Jodica fere opposita esse illae arteriarum systematis irritationi, Jodium igitur magis antiphlogisticum, quam phlogisticum esse. Experientia huic plane contradicit, nihil enim Jodio in ullo morbo efficies nisi antea Diathesin inflammatoriam diminueris.

III. Systema lymphaticum.

Hoc in systemate, ut fere omnes medici concedunt, Jodium maximam efficaciam ostendit, quasi specificam et

1) Horn's Archiv 1829 März, April.

Richord[1]) in errore versari videtur, si dicit: systema lymphaticum Jodio non specifice affici, sed stimulo in organis cum eo in contactum venientibus procreato, ideoque localem modo effectum proferre et hydrargyro resorptionem in organis a loco affecto remotis efficiente dissimile esse. Actio vasorum lymphaticorum valde acceleratur, iam parvis Jodii dosibus appetitus augetur et glandularum tumores exsudationesque praesentes evanescunt; majoribus dosibus hoc magis elucet et timendum erit, ne organa glandulosa normalia etiam afficiantur et volumine minuantur uti beatus Hufeland, Rivers, Hellrich, Reichenau, Perret et alii viderunt. Postea hac ex causa nutritio turbatur, aegris macies adit et ex nimis adaucta systematis lymphatici actione oedema, hydrops universalis oriuntur. Ziegler[2]) tres aegros febre lenta ex Jodii usu laborantes observavit et quidam medicus Hahnemannianus hoc etiam affirmat sed proh Dolor Dosin non proposuit. Sin etiam alii uti Lugol contrarium contendunt, qui mulieres maceras e cura crassiores exeuntes et Barbier nullum in mammas effectum vidit, tamen forsan illud non dubitandum erit.

IV. Organa specialia.

1) Tubus alimentarius.

Coïndet et Formey iam Jodio effectum localem incitantem tribuerunt, quod ab aliis valde affirmatum est. Minoribus Jodii Dosibus caloris sensus pharynge, œsophago ventriculoque, appetitus major et liquorum secretio parum adaucta fit; majoribus calor augetur, ardor et dolor in ventriculo, nausea perdurans, vomituritio, pharyngis constrictiones,

1) Archiv. gener. de med, Mar. 1824.
2) Rust's Magazin Bd. 14. Hft. 1.

cardialgia, dolores colici, sitis vehemens, digestio impedita, vomitus non raro cruentus, diarrhœa aut pertinax obstructio nascuntur. Wutzer Jodio acidis, tonum minoribus Dosibus augentibus, similes effectus adscribit. Dosibus adhuc majoribus corrosionis et inflammationis signa intrant, quæ deinde mors sequitur. Perret[1]) Jodium corrosivum appellat, quod propter Hydrogenii detractionem plurimas vegetabiles animalesque materias delet, duosque casus lethales adjicit, in quibus Jodium gastritide procreata necavit.

Sectio cadaverum in duobus casibus, quorum alter enteritide post immensas Jodii doses, alter per longum tempus majores doses pro minoribus praescriptis sumtus, mortuus erat, docuit: adipis consumtionem, omnium organorum telarumque laxitatem, glandularum meseraïcarum aliarumque partium glandulosarum atrophiam, etiamque telam cellulosam minore in copia adfuisse, non minus vera omnium intestinorum inflammationis signa et sparsas maculas flavas. Nordhoff[2]) equidem in uno casu ventriculum omnino corrosum invenit. Barruel[3]) discrimen monuit, inter maculas flavas bile aut acido nitrico aut Jodio procreatas; cum lixivio kalino tenui tactae, illae ex bile non mutantur, ex acido nitrico obscuriores fiunt, ex Jodio autem statim evanescunt.

2) Pulmones.

Jodii usum saepe sequitur peculiaris pulmonum irritatio: respiratio brevis, anxia, tussiculosa et alia, quae deinde nonnunquam proveniunt. Jam prius beatus Hufeland spongiae tostae pulmones tracheamque laedendi proprietatem commemorans, simile in Jodio timuit, quod Carminati[4]) et alii

1) Feuill. de Cant. de Vaud 1821 No. 97.
2) Allgem. medic. Annal. Febr. 1821.
3) Journal d'Hygieine April 1829.
4) Gerson et Julius Magaz. Bd. 4. S. 108.

medici italici, praeterea Günther, Goelis, Jahn etc. affirmarunt; Jodium nempe non raro haemoptysin et phthisin proferre et opportunitatem phthisicam statim in phthisin excultam perducere. De Carro saepe iam inprimis diebus post Jodii usum expectorationem sine tussi et salivatione observans, Jodio illa non adscribit, tamen non negandum erit, ea jam ex causa, quia pulmones ad organa glandulosa pertinent, quarum maximam irritationem Jodio tribuere debemus.

Hic forsan locus erit de inhalationum ioduratarum effectu loqui. Secundum Jahn Jodium hac in forma, uti Chlorum, nasi tunicae mucosae stimulum, gravedinem tussimque cum vertigine, stupore atque doloribus capitis coniunctum effecit, in majore et durante copia morbum iodicum acutum. Chevallier[1]) observavit constrictiones pharyngis et dein colicas pertinacissimas. Kurtz vidit somnolentiam aut pervigilium, fere semper sanguinis stillicidio e naso sublata, dein cardialgiam tussimque, aliasque tracheae irritationes exoriri. Scudamore[2]) aptam hujusmodi applicationis formam commendavit, sibi in multis pectoris affectionibus utilem, de qua postea uberius loquar.

3) Genitalia.

Jodium quoque in his propriam vel potius specificam efficaciam exercet et actiones auget. Hac ex causa facillime in mulieribus Jodii usu menses nimiae et haemorrhagiae uteri apparent, in viris autem libido sexualis oritur, seminisque ejaculatio augetur, quare Jodium secundum nonnullorum observationes multum in Amenorrhoea et impotentia valet; excepto Rivers[3]) qui in uno casu Jodii usum sterilitatem sequentem observavit.

1) Archiv d. Apothekerv. d. nördl. Deutschl. XXVI, 13.
2) Froriep's Notizen Juli 1831. Bd. VI, S. 92.
3) Behrend's Repert. 3ter Jahrg. No. 9 Sptb. 1832 S. 287.

His omnibus praemissis forsan Jodio locum aptum in medicaminum serie tradere et nonnullas cautelas regulasque in ejus usu proponere poterimus. Jodium acribus remediis adnumerandum, maxima resorbendi facultate praeditum, quod in quibusdam morbis nullo alio substituendum, caute adhibitum, praestantissimis aequiparandum est. Attamen verum est, eos forsan modum excedere, quibus Jodium innocentissimum est remedium et per magna in Dosi sine ullo detrimento ab aegris sumi potest, quod Magendie 1) liberum quatuor annorum Tinct. Jodii drachman unam commedentem vidisse contendit. Majoris momenti argumentum hoc in respectu Delisser 2) affert: liber trium annorum scrophuloseos causa in dies 15 — 30 — 60 — 75 — guttas Tinct. Jodii assumens per duos menses Jodii grana centum et vigenti duo commederat, tamen est sanatus. Nuperrime Bachanan, 3) medicus anglicus, Jodii maximas, usque ad hoc tempus nondum adhibitas Doses aegris applicavit, ita ut, hebdomadibus quatuor vel quinque praeterlapsis quadrantem vel dimidiam librae partem et quidem sine ullo incommodo assumsissent. Affirmavit etiam, quod iam prius exposui, perniciosas Jodii sequelas minus ab Jodio ipso, quam a ratione adhibendi dependere. Acidum hydriodicum, sic dictum, quo Buchanan utitur, tubum intastinalem omnino non offendit, omnibus telis absorbetur, cum excrementis evacuatur et eodem modo afficit, quam Jodium purum. Omnibus his aegris, Jodii tam magnas Doses assumentibus lingua semper normalem colorem praebens mansit, appetitus digestioque non impediebantur immo etiam meliores reddebantur.

Sin etiam hoc forsan persuasum nobis erit, tamen Jodium tam largissime non adhiberemus, ni uberioribus medicorum expe-

1) Jahrb. d. in- u. ausländ. Med. Bd. XIII, 2tes Heft.
2) v. Graefe's u. Walther's Journ. 6, 3, 546.
3) Behrend's Repert. April, 8, 1837 Bd. III, No. 14.

rimentis satis clare et extra omne dubium promulgatum fuisset, sine incommodo fieri posse. Qui contra, aut Jodii usum nimis anxii ut Neumann,[1]) Goelis[2]) etc. ejusque sequelas perniciosas valde timent, aut prorsus uti Foderé[3]) vetant, non minus modum excedunt. Nunquam forsan errabimus si parvis Dosibus semper curam inciperemus gradatimque adauctis pergeremus, formam Jodii aptam, non autem Jodium purum adhiberemus et simulac illa iam commemorata symptomata, motus febrilis etc. intrassent, Jodii usum omitteremus. Hic cautelae non parvi momenti esse videntur, quas Gairdner[4]) tam pulchre describit: tremorem manuum levem pro primo organismi saturationis signo proponit, qui usu durante dorsi extremitatumque musculos invadit, dum gressus incertus, pulsus frequentior, parvus, filiformis intrat. Tremore hoc apparente, aeger diligenter observandus et adaucto Jodium illico omittendum. Ne hic primus nervosae reactionis gradus negligeretur commendat: aegro aliquid leve ad caput tollendum offerre, ut minimus manuum motus incertus ad lucem proveniat; digitorum palpebrarumque tremor etiam non negligendus est.

Contraindicationes ex Jodii effectibus derivatae sequentes proponere possemus.

1) Febriles, inflammatorii status morbosi omnino.

2) Congestiones ad caput, pectus et abdomen.

3) Opportunitas ad haemorrhagias nimiamque menstruationem, omninoque magna vasorum sanguiferorum irritabilitas.

4) Febris hectica, phthisica indoles et variae suppurationes internae.

5) Nervorum magna sensibilitas.

---

1) Hufeland's Journ. Bd. 55. St. 1. S. 69.
2) Salzburg. medic. chirurg. Zeitung 1821. Bd. 2, No. 43. S. 272.
3) Journ. compl. du dict. des scienc. med. 1824. Tom. XVII.
4) Richter's Ausführl. Arzc. M. Lehre 1827. Bd. 2, p. 250.

6) Fere omnia mala organorum digestionis, ideoque indoles ad cardialgiam colicam, diarrhoeam etc.

7) Graviditas.

De morbis, in quibus usque ad nostrum tempus Jodium adhibitum est.

1. Struma.

Coïndet primus fuit, qui Jodium, iam diu antea in spongiae marinae praeparatis contra strumam usitatis re vera efficax fore conjiciens, hoc in morbo adhibuit, quasi specificum proclamavit et sibi effectum e sympathia inter strumam et systema genitale, Jodio maxime excitatum, explicuit; quod autem Harless [1]) negat, cui Jodium nullas secretiones augere ideoque nullum consensum proferre posse videtur. Quum Jodio systema lymphaticum excitaretur et deinde macies exoriretur Clarus [2]) nihil aliud Jodii efficaciam contra strumas nisi maciem localem esse putat. Eosdem eventus prosperrimos etiam multi alii medici celeberrimi viderunt, si interne aut externe aut utroque modo Jodium adhibuerunt. Quare igitur forsan non multum interest, si Goelis contendit: Jodium non citius strumam sanare, quam alia resolventia et Peschier Natrum carbonicum lubentius in strumis adhibet, quia eosdem effectus neque tam ingratum saporem praebet.

Non in omnibus strumae formis eandem Jodii efficaciam observamus, quare audiamus, quod Illustrissimus de Graefe [3]) hoc in respectu monuit: in struma aneurysmatica pulsatio, tumor et dolores semper adaucti, etiam minimis Jodii Dosibus aegrotis semper inquietas, anxietas oppressioque obviam venit. In struma inflammatoria adaeque dolor

1) Bibliotheca univers. April 1820.

2) Gilbert's Annalem 8. Bd. 1821.

3) v. Graefe und Walthers Journ. II. 4. S. 616.

et tumor adaucti, sin autem hirudinibus, calomelane etc. inflammatio chronica remota fuerit, cura certe mox finita erat. In struma scirrhosa Jodium nil valuit. In struma lymphatica semper prosperrimus eventus nullis malis consecutivis.

Quibus forsan adjiciendum erit, strumam non esse debere valde inveteratam, solum in tela cellulosa conditam aut cum malis totius corporis coniunctam; parvasque sanguinis detractiones Jodii efficaciam adjuvare.

Si Jodium effectus ostendere incipit, sensus pruritivi in struma proveniunt, dum cutis supra eam minus tensa, struma ipsa mollior apparet; deinde glandulae lobuli singuli magis prominent, discrepant, molliores fiunt, et voce liberiore altioreque, respiratione faciliore tumor ipse evanescit.

2. Scrophulosis.

Lugol aptissimas diversissimasque Jodium applicandi methodos proponens, experientia sua adductus Jodium hoc in morboso statu aestumantissimum, nullo alio commutandum remedium docuit, et multi alii medici cum eo consentiunt, alii autem, aut plane vetant, aut nimis anguste attamen indefinite coërcent.

Quas sententias diversas Kurtz in eo quaerendas esse putat, quod morbosam organismi rationem, indicationes ad Jodii usum praecipuas praebentem parum notam et applicationis methodum valde mancam vitiosamque esse.

Quamquam in quibusdam scrophuloseos formis, ut carie scrophulosa, Jodium non semper radicaliter sanat, tamen affirmandum erit citius, tutius et iucundius antimonio, mercurio etc. scrophulosin sanare, equidem eam, in qua illis frustra utimur. Experimenta in instituto clinico pro liberis sub duce Illustrissimi Barez secundum Lugolianam methodum edocue-

runt: appetitum auctum correctumque, inclinationem ad panem cibosque farinaceos deletam, digestionem nutritionemque fortem, alacritatem majorem et semper faciei pallorem; localiter abscessus scrophulosos glandulasque citius maturatas apertasque. Barez ipse monuit: sententiam certam non proponi attamen affirmari forsan posse, Jodium tantam efficaciam in scrophulosi non obtinere, quantam Lugol et Kurtz ei tribuisse, etsi hucusque nulla incommoda intrassent, tamen experientia glandularum indurationes citissime in suppurationem mutari, timendum esse, ne metamorphoses similes pulmonibus glandulisque tuberculosis provocentur. Faciei pallori, signo congestionis ad organa interna maximam attentionem offerendam esse; praestantiam methodi Lugolianae in eo praecipue quaerendam, quod digestionem nutritionemque magnopere incitet, et paulatim adaugenda dosi coeffectus perniciosos evitet, aptissimamque curae repetendae esse. Ut prosperum eventum observemus, diaetam parcam, nunditiem magnam, motusque corporis ordinare opus est. Motus febriles, affectiones pectoris forsan contraindicationes praeberent, non minus magna debilitas vera.

3. Glandularum indurationes.

Forsan nullas in organismo glandulas inveniemus, contra quarum indurationes Jodium prospero eventu non adhibitum esset.

v. Galenzowski [1]) saepissime glaudulas salivales induratas sanavit.

Milligan [2]) phisconias hepatis lienisque facillime sustulit.

1) v. Graefe's und Walther's Journ. 13, 3. S. 491.
2) Salzburg. medic. Zeitschrift 1829, Juli Nr. 50. S. 406.

Roechling in foemina triginta annorum iam diu constantem et quavis menstruatione duriorem et magis dolentem ovarii indurationem curavit.

Eusébe de Salle Jodium interne et externe efficax contra testiculorum indurationes invenit, etiam A. Cooper Tram Jodii externe his in casibus usque ad vehementem scroti irritationem magno effectu adhibuit.

4. Scirrhus et Carcinoma.

Medicorum illustrissimorum observationes hoc in morbo valde differunt, tamen contendi posset, Jodium forsan efficacius esse quam de Graefe, Delisser et Goelis Jodii usum scirrhi in carcinoma apertum transitum accelerare affirmans, afferunt, quum singulis casibus magnae Doses, diversissima methodo applicate aliquid certe commodi praebuerint et nostro tempore celeberrimus Dieffenbach hic Jodium magnopere laudaverit.

Delisser contra scirrhum ab undevigesimo Junii die usque ad vigesimum Augusti mensis, 1019 Jodii grana sine ullo effectu, cum tribus granis incipiens, praescripsit.

Hennemann 1) mulieri carcinomate uteri laborante Tram Jodii ordinavit; dolores in regione lumbali sacralique evanuere, haemorrhagia antea quaque dejectione provocata bis tantum hebdomadibus quatuor praeterlapsis rediit; tumor supra os pubis vix sensibilis, alvi excretiones faciles, vagina latior et excrescentiae cruentae minutae. Mulier tamen mense quarto obiit, Tra Jodii iam diu omissa. Sectione instituta, uterus cum recto vesicaque concretus et vix magnitudinem in multiparis excedens, vagina laevis, sine plicis, huc illuc cicatribus praedita, vaginae pavimenti ulcera peritoneum penetrantia apparuerunt.

1) Hufeland's Journ. 1823 Febr.

Ashwell[1]) sexies scirrhum uteri excultum prosperrimo eventu curavit, suppositorio e Kali hydriod. gr. jj — jjj c. Extr. hyosc. gr. vj, quaque nocte adhibito.

Elliotson[2]) magnas tantum Jodii doses efficaces observavit.

Rothamel[3]) nomam, gangraenoso remoto et scarificationibus marginis inflammati adhibitis, Trae Jodii inunctionibus sanavit.

Meyer[4]) ulcus carcinomatosum mulieris sexaginta annorum in oris cavo plane delevit.

Richter[5]) commendat in scirrho uteri iniectiones cum Kali hydriodico soluto et in scirrho mammarum unguentum Kali hydriodici.

5. Tumor albus.

Delisser tumorem album in puella novemdecim annorum, iam per duos annos hoc tumore laborante, linimento ex Jodio cum Alcohole brevi tempore sanavit.

Ziegler idem observavit, quum unguento secundum Coïndet usus esset.

Troschel[6]). Jodii efficaciam in tribus casibus gravioribus interne et externe adhibiti affirmat, eodem modo etiam Benaben[7]) medicus gallicus in plurimis casibus.

Wutzer[8]) fere incredibilem effectum in tumore albo cum carie ossium iam coniuncto vidit Tinctura ad ulcera penecillo applicata.

---

1) Froriep's Notizen Nr. 754. (Bd. 35, Nr. 6. Nov. 1832. S. 96.)
2) Dieselben Nr. 756 (Bd. 35, Nr. 8. Nov. 1832. S. 128.)
3) Heilung des Wasserkrebses der Kinder etc. 1832. S. 36.
4) Verhandl. d. verein. ärztl. Schweizer Ges. Jahrg. 1829.
5) v. Graefe und Walter's Journ. III, 2.
6) Dieselben Journ. XIII, 2.
7) Revue medical. franc. et etrang. Octbr. 1824.
8) Abhandl. und Beobachtungen d. ärztlichen Gesellschaft zu Münster. 1. Bd. 1829.

Buchanan [1]) etiam in aliis articulorum morbis Jodium efficacissimum invenit.

Richter [2]) saepe unguentum Kali hydriodici in chronicis rheumaticis articulorum inflammationibus, inflammatorio hirudinibus sublato, saluberrimum observavit, ut Synoviae secretionem, ligamentumque capsulare spissatum minueret.

6. Affectiones syphiliticae.

Biehler sanavit Bubones syphiliticos Mercurialiis et Cataplasmate acri diu frustra tractatos brevi tempore, unguento e Natro hydriod. scrup. jv et Adip. unc. jj.

Richond [3]) medicus Argentoratensis interne et externe Tram Jodii fausto eventu adhibuit, contra Bubones et Blennorrhoeas ex causa syphilitica.

Gemelli [4]) et Sablairolles [5]) affirmant efficaciam in Leucorrhoea.

Braglio [6]) sanavit bis Gonorrhoeam secundariam pertinacissimam.

Herbert Majo [7]) in Lue secundaria multum effecit Tra Jodii cum Kali hydriod.

In tophis et doloribus osteoscopis solutionem Kali hydriod. drachm. j per diem adhibitam valde efficacem observavi ipse, dolores iam una Dosi plane evanuere, tophi autem solummodo valde imminuti erant.

Coïndet iam Jodii cum Hydrargyro coniunctionis magnam efficaciam in syphilitide scrophulosi degenerata quaerentem, multi medici secuti sunt et omnes hanc affirmarunt,

---

1) Salzb. Zeitung 1837. Ergänz. Bd. Nr. 947.
2) Abhandl. aus d. Gebiete d. prakt. Med. u. Chir. Berl. 1832.
3) Archiv gener. de med. Mars 1824. p. 322.
4) Journ. univ. des sc. med. Oct. 1823. p. 124.
5) Revue med. VII. p. 249.
6) Annali univ. di medic. 1831.
7) Loud. med. phys. Journ. Jun. 1832.

praecipue Biett, Paillard, Magendie, Alibert qui in chronicis exanthematibus syphiliticis prosperrimos eventus observarunt.

7. Stricturae urethrae.

Benaben Unguento Kali hydriod. feliciter stricturam urethrae sanavit, nec minus Illustrissimus Truestaedt stricturas et indurationes prostatae, quibus in casibus Jodium vehementem vim resolventem praebet.

8. Amenorrhoea.

Jodium vasa sanguifera excitare et quemdam specificum effectum in systemate genitali praebere, antea iam commemoravi et medici quidem experientissimi affirmarunt; tamen Fenoglio, Wutzer, Lugol, Kurtz hanc efficaciam negant. Kurtz demonstrat menses cessantes aut cunctantes Jodii usu ita redire, ut organismum totum fortiorem redderet adhas functiones normales restituendas; sed forsan in errore versatur.

Thomas Adam [1]) affirmat; Jodium esse medicamen unicum quod in Dysmenorrhoea certum eventum prosperum promittit.

Perquin [2]) Hydriodetum ferri maxima cum efficacia hoc in morbo et fluore albo adhibuit, solutione, unguento, balneis, chysmatibus, lotionibus et iniectionibus.

9. Enuresis et Diabetes

Carter [3]) enuresin in multis casibus feliciter curavit. Diabetem cujus complicationes cum pulmonum hepatisque affectionibus mercurialiis sublatae, plane sustulit, sed debilitatem magnam et puriformia sputa copiosa mors secutus est.

10. Impotentia.

Plures medici hoc in morbo bonum eventum observarunt, tamen dubitandum est, an Jodium hic aliquid valeat.

---

1) Froriep's Notizen 1833. Nr. 772. S. 25.
2) Dieselben. Nr. 778. S. 128.
3) Salzb. med. Ztg. 1829. Juli Nr. 50. S. 406.

11. Hydroses.

Jahn [1]) Jodium praestantissimum antihydropicum declarat et quidem.

Hydrocele unguento Kali hydriodici plurimis in casibus mox sanavit.

Hydrothoracem et Hydropem ascitem Tra Jodii curavit interne et externe; praecipue efficax se praebuit Tra Jodii cum aliquo diuretico coniuncta.

Chronicum et acutum Hydrocephalum in stadio exsudativo unguentum Kali hydriod. capiti infricatum et interne gr. $\frac{1}{12}$ Jodii c. Calom. et Herb. Digit. aa gr. dimid. vel duo. Dos. xvj, tertia quaque hora dosis plane sanarunt.

Ricord applicavit Tram Jodii c. aqua mixtam (drachm. j-jj-jjj-vj ad aqua unc. jjj) in fomenti forma in hydrocele; tenui epidermide et magna cutis sensibilitate prima Dosis satisfacit. Sensus caloris parum vehemens sine ardore vero aut vesiculis mediis in cute fomentata, signum effectus perfecti apparet, dum cutis fusca, epidermis chartae pergamentae similis fit et squamulas discernit, sub quibus superficies haud parum suppurans. Usque ad hoc momentum aquae ioduratae dosis augenda, dein eodem modo bis in dies linteo duplicato applicanda est.

Hoffmann [2]) Hydropem universalem Trae Jodii drchm. una aq. petrosel. unc. dimid., drachma bis in dies sanavit.

Velpeau [3]) enarrat: iniectiones Trae Jodii solutae in scroto saluberrimas fuisse in Hydrocele, quum antea involutiones cum emplastris (uti Fricke in orchitide) frustra tentasset. Liquorem tepidum (2-3 unc. Trac. Jod. ad aq. unciam) applicandum et hanc iniectionem vinosis valde anteponendam esse, quia incitatio minor et nullum detrimentum existit, si etiam aliquid liquoris in tunica vaginali remaneat

---

1) Kleinert's Repert. VI. Jahrg. XII. Hft. Dec. S. 115.
2) Rust Magazin 22, 2, 296.
3) Froriep's Notizen Nr. 13. Febr. 1837.

12. Ptyalismus.

Knod de Helmenstreit[1]) primus fuit, qui Jodii efficaciam hoc in morboso symptomate proposuit, sed in forma non apta, quia semper Jodii pars praecipitatur et nunquam dosis definiri potest. Illust. Kluge[2]) multa experimenta hoc in respectu instituit et semper eundem prosperum eventum vidit, ita ut tribus vel raro duodecim diebus praeterlapsis omnia ptyalismi signa evanuerint.

13. Exanthemata chronica.

Contra omnia fere exanthemata hujus ordinis Jodium seu purum, seu cum Hydrargyro, seu cum Sulphure conjunctum applicatum est et Biett praecipue plurimas observationes de iis communicavit; lotiones et frictiones cum Jodeto Sulphuris instituens semper prosperrimos eventus vidit.

Brehme[3]) et Alibert certam sanationem effecerunt si etiam malum inveteratum esset.

Lepra vulgaris[4]) brevi tempore est sublata Tra Jodii gutt. 8 — 12 ter perdiem et mercurialiis.

Herpes pustulosus labiorum[5]) ter remotus est Jodeto sulphuris in unguenti forma.

Gasté[6]) etiam exanthema in Jndia occidentali tantum apparens (Pian s. Bubas) cum unguento ex axung. porc. unc. duab. ammon. mur. drchm. sesqui, plumb. subacet. drachma opii pur, drchm. duab. et Jodii gr. quadraginta semper tractavit feliciter.

Jeffray[7]) Tram Jodii contra psoriasin et herpetem vulgarem fere semper utilissimam vidit.

---

1) Hufeland's Journ. Mai 1832.
2) Medic. Ztg. d. Vereins f. Pr. 1833. Nr. 5.
3) Allgem. medic. Zeitg. Febr. 1831. S. 177.
4) Lond. med. etc. Journ. Vol. II, No. 9 März 1829.
5) Verhdlgn. d. verein. ärztl. Ges. d. Schweiz Jahrg. 1829. Hft. 1.
6) Behrend Repert. 1832. S. 302.
7) Froriep Notz. Aug. 1831., 671.

14. Phthises.

Nonnulli medici quidem hoc in pernicioso malo feliciter curasse contendunt, tamen dubitandum fore mihi videtur an re vera statum meliorem provocassent, ni praetereuntem convalescentiam, quae eo facilius aegrum morti tradiderit.

Breton,[1]) Fermon et Haden in phthisi tuberculosa magnam Jodii utilitatem defendunt quamquam scimus Jodium facillime tumores scrophulosos solvere.

Brera[2]) in phthisi tracheali etiamque meseraïca, equidem Callawey in meseraïca felicissimum eventum observarunt.

Scudamore[3]) novam Jodii inspirandi methodum proponens semper felicissimos eventus enarrat.

Phthisin trachealem exulceratam per sex menses durantem, multis remediis frustra tractatam infra sex hebdomades methodo sua plane sustulit.

Phthisin pulmonum exulceratam iam per annos durantem in duobus casibus infra quatuor menses fere ad reconvalescentiam eodem modo duxit.

Day[4]) inhalationibus secundum Scudamore institutis feminam phthise tracheali ex quatuor annis laborantem, tribus hebdomadibus praeterlapsis plane sanavit. Os piscinum illo tempore devoratum, nunc tussi vehemente ejectum, causam morbi argui debet.

15. Arthritis.

Gendriu[5]) tumores arthriticos articulorumque contracturas Jodii applicatione interna externaque radicaliter sanavit,

1) Recherch. observ. et exper. Paris 1h25.
2) Hufeland Bibliothek Septb. 1825. S. 193.
3) Froriep Notizen Juli 1831. 666.
4) Dieselben — Mai 1833, 744 S. 31.
5) Kasper Repert. 22ter Bd., 3, 445.

diaeta apta iuvante; in omnibus paroxysmorum acutorum perodis Jodium eodem prospero eventu adhibuit.

16. Jnflammationes chronicae.

In quibusdam casibus singulis nonnulli medici Jodii usu efficacem observarunt, sed fere semper basis syphilitica au scrophulosa adfuit.

Heinrich [1]) Laryngitidem chronicam Jodeto Hydrarg. externe atque Mercurio solubili Hahnemanni interne adhibit sanavit.

Loewenhard [2]) in stadio secundo anginae membranaceae unguentum Jodii efficax vidit.

Magendie et Proutet in ophthalmiis scrophulosis Joduretum Zinci utilissimum invenerunt.

17. Maculae corneae.

Istae et aliae obscurationes corneae Kali hydriodici solution saepe sanatae sunt [3]) (Kali hydriod. drchm. semis aq. destil uncia) quotidie penecillo gutta una vel duae applicatae, parc dolore bene feruntur.

Volmar [4]) maculas corneae post ophthalmiam morbillosam exortas facile removit. (Kali hydriod. gr. quat. vel decem. mucilag. cydon. unc. semis aq. ros. drchm. duas), inflammatione adhuc durante aliquid opii addidit.

18. Ganglia et Periostoses.

Ricord [5]) commendavit linteum carptum cum Trae Jodii drachma aq. uncia humefactum illis applicare et applicatione repetita iam post octo vel decem dies auxilium vidit.

19. Affectiones nervosae.

Magendie [6]) epilepsiam sanavit Iodet. Kalii gr. jv, Jod.

1) Medic. Berichte dr. Pr. Sachsen 2tes Sem. 1832.
2) v. Siebold Journ. Bd. IX, Hft. 2, pag. 298.
3) Behrend medic. chirurg. Journ. 3ter Jahrg. Na. 9. Juli
4) Hufeland Bibliothek S. 161.
5) Froriep Notizen Decbr. 1833. No. 836. S. 352
6) Jahrbücher d. ges. in- und ausländischen Med. Bd. XIII. 2. Hft.

pur. gr. II aq. menth. et aq. fol. aurant. an. unc. III ter per diem cochlear unum adhibens. Idem paraplegias inveteratas prospere sanavit pilulis e strychnino iodico, quorum una grani octantem continet, abuna incipiens usque ad octo dosin adauxit.

20. Adiposis.

Jllustrissimus de Graefe unum casum Jodii usu externoet interno plane sanavit.

De formulis Jodii praescribendi.

I. Jodium purum.

Ut jam supra monui Jodium purum fere uunquam adhibendum fore, quum non minus acre, corrodens remedium esset, quam facillime hac in forma decomponeretur.

1. Pulvis Jodii raro venit in usum et si dederis semper a greni parte octante incipies ter quaterve per diem. Buchanan autem contendit, Jodium sua formula optime magnis in dosibus assumi posse nullumque periculum afferre, commendavit nempe: Jodii pur. gr. vigintiquatuor ter. c. pauxill. aq. immisce paulatim amyli in pnlv. tenuiss. triti unc. semis, serv. leniss. calore exsiccat. in vas. bene obturat. — et usque adgrana sexaginta duo semel adhibuit sine ullo tubi alimentarii irritamento.

2. Tinctura Jodii frequentissime in usum vocata et interne et externe, sedusus sxternus, potissimum in balneis, se haud bene commendat.

a) secundum Coïndet usitatissima; Jod. gr. 48 ad alcoh. (90°) unciam, gutt 10 — 20 ter in diem;

b) secundum Magendie Jodii scrupulum ad alcoh. (36°) unciam, gutt 4 — 10 ter per diem.

3. Aether sulphuricus iodatus. Brera solvit gr. sex. in Aeth. drachma Magendie tantum gr. quatuor, gutt. 30 fere gran. unum Jodii continent, ter quotidie gutt 4 — 10.

Serullas propriam formulam praesribit: Jod. part. octo Phosph. part. unam et Alchl. (37°).

4) Pilulae ex Jodio rarissime sunt adhibitae, una pilularum contineat gr. ⅛.

5. Syrupus iodatus. Magandie sumit partem unam Trae suae et sedecim Surupi sacchari partes, uncia una continet gran-tria Jodii; aptissimus ad liberos curandos.

6. Unguentum iodatum constatex Jod. pur. parte una et decem vel triginta partibus axungiae, sed cave ne axungia rancida sumatur, quae Jodium statim decomponitur, quare alii stearinum purum, alii ceratum suadent. Hujus scrupul. vel drchm. semis quotidie adhibeas. Ut minus irritet Scattigna et Gairdner unguentum axillae et femorum superficiei internae tantum affigunt.

7. Emplastrum iodatum cave, ne nimiam Jodii quantitatem emplastro adjicias, quia massa intractabilis fit, quod facillime cum emplastro saturni accidit.

8. Cataplasma ioduratum. Emollientis cataplasmatis copiae cuidam, necessaria Tincturae aut solutionis aquosae Jodii qauntitas admiscetur; calor cataplasmatis triginta gradus R. non excedat quia Jodium evaporat, si calor major fit.

9. Solutio Jodii ad usum externum grana duo vel quatuor Jodii in aquae libra una solvuntur, ad fomentationes atque collyria.

10. Balnea iodurata Lugol praecipue commendavit, drachmas duas vel unciam dimidiam ad unum balneum in adultis, totidem scropulos in liberis.

II. Acidum hydriodicum. (sic dictum)

Buchanan propria methodo illud acidum parans aliasque abjiciens innocentissimum et utilissimum commendat: Kali hydriod. gr. 333., acid. tartar. gr. 264 misc. l. a. c. aq. sat. ita ut quaeque drachma mixturae quinque Jodii grana contineat: saporem acidulum, haud ingratum excitat et per menses sine mutatione asservari potest. Initio applicat guttulas nonnullas, dein pergens usque ad drachmam ter in dies, dein ad unciam dimidiam et demum ad unciam ter in diem i. e. drachmas duas Jodii puri et nunquam sequelas perniciosas observavit.

III. Kali hydriodicum.

Nostris temporibus frequentius Jodio puro, iisdem formulis, dosibus tantum duplicatis usurpatur, quia solubilius aqua, neque tam vehementer agit, neque decomponitur. Proprias formulas Magendie commendavit et quidem:

Solutionem Kali hydriodati: Kali hydriod. scrup. semis. aq. dest. unciam, gutt. xx. usque ad drachm., drachma una solutionis fere granum Kali hydriodici continet.

Solutionem atrophicam: Kali hydriod. unc. semis.

aq. lactuc. unc. vjjj, aq. menth. drachm. jj, Syrup alth. unciam D. S. Mane et vespere cochlear unum vel duo: in cordis hypertrophia. In rheumatismis chronicis et syphilitide inveterata commendat: Dec. sassapar. libr. jj, Jodet Kalii drachm., Syrup. cort. aurant unc. jj. D. S. per diem sumendum.

IV. Jodium cum Kali hydriodico.

Haec compositio praestantissima nunc fere ab omnibus adhibetur, certissimum eventum promittens, sub nomine Kali periodati notum est. Formulas singulares adjiciam:

Solutio iodurata Kali hydriodati: Kali hydriod. drchm. semis, Jod. pur. gran. x. aq. destill. unc., S. gutt. v–x–xv. ter per diem cum aqua saccharata.

Solutio iodurata rubefaciens Jod. pur. unc. semis, Kali hydriod. unciam, aq. destill. unc. vj; ad balnea localia cum sufficiente aquae copia miscetur, ut liquor flavus oriatur; deinde ad tumores atonicos irritandos usurpatur.

Jodium causticum Jodii, Kali hydriod. aa. unciam in omnibus casibus quibus solutio rubefaciens non satisfit.

Magendie in ophthalmiis scrophulosis commendat. aq. rosar. unc. vj. Jodet. Kalii gr. xxjv, Jodii pur. gr. j–jj M. f. collyrium.

Inhalationes ioduratae. Scudamore sequentem formulam in pluribus casibus valde salutarem commendat: Jodii puriss. gr. vjjj, Potass. hydriod. puriss. gr. v, Alcohol drchm. semis aq. destill. drchm. v et dimid. M. f. mixtura pro dosi drachm. unam et nunquam drchm. vj excessit. Dosis quaeque in duas partes divisa post quindecim vel viginti horae minutas $\frac{2}{3}$, dein post idem temporis spatium $\frac{1}{3}$ inspiratur. Inhalationi cuique Trae. Conii gutt. 20–35 addit, quae Jodii actionem aliquantulum mitigant neque minuunt.

V. Jodium cum aliis metallis.

1. Joduretum Arsenici ad fortissima venena pertinet, amborumque medicaminum effectus profert. Biett externe applicavit in unguento: Joduret arsen. gr. jjj axung. porc. unc. D. S. scrup. vel drchm. dimid. semel vel bis in dies.

2. Joduretum Baryi in pomato: Jodet. bar. gr. jv., axung. por. unc. uti antedictum.

2. Joduretum Bromii eodem modo usurpatur ut Jodur. baryi.

4. Joduretum Cyani eundem fere effectum producit, quam acidum hydrocyanicum et cum iisdem symptomatibus animalia necat.

5. Joduretum Ferri. Pierquin nonnullas formulas communicavit: Trochiscos. Hydriod. ferri drachmam, croc. pulv. unc. semis aq. unc. vjjj f. trochisci Nr. 240, initio octo vel decem praescribit et post duos dies uno dosis augetur. Unguentum. Hydriod. ferr. drchm. sesqui, axung. unc. S. nucis avellanae magnitudine femorum superficiei internae su-

perioriqque infricatur. Tincturam. Hydriod. ferri drachm. jj. Alcohol. et aq. aa. unc. jj. Aquam hydriodato-ferratam. Hydriod. ferr. unc. dimid., aq. libr. jj ad clysmata, lotiones et injectiones. Balnea. Hydriod. ferr. unc. jj et balneo repetito dosis unc. dimid. augetur.

6. Joduretum Hydrargyri. a) Jodetum s. Protojoduretum Hydrargyri. Magendie in pilulis dedit: Jodet. hydrarg. gr. j, Extr. bacc. Junip. q. s. ut fiant pilul. Nr. vjjj. D. S. mane et vespere duas vel quatuor. Externe: Jodet. hydrarg. scrup., axung. porc. unciam M. f. ungt. D. S. Plumaceaux sic dictum caute cum eo illitum ulceribus imponitur. Biett ordinavit:. Protojod. hydrarg. scrupulum ad pilul. Nro 72, primis tribus diebus unam, deinde semper secundo die unam addidit. Externe adhibuit ad ulcera faucium sananda: Protojod. mercur. part. j. Mel. rosar. part. xjj cum penecillo illud ulceribus applicavit. b) Bijodetum s. Deutojoduretum Hydrargyri. Secundum Biett cauterii instar agit. Deutojod. hydrarg. gr. xv, Adip. unc. jj, Ol. bergamott. gutt. xx. Paillard adhibuit. Deutojod. Hydrarg. drchm. j–jj, Ol. ping. unciam.

Illico post minoris copiae infricationem dolor urens, vehementior fiens, rubor et tumor infra quatuor vel quinque horas cum exsudatione serosa sub epidermide in crustas transeunte, in majore copia febris, dolores colicae, diarrhoea intrant. Si ulcera aut tumores cum hoc in aethere soluto illinuntur, aeger initio frigoris sensu afficitur, dein rubra epidermis, doloris aliquid, interdum pustulae sero impletae, porro squamae siccae, griseae cum parvis cutem penetrantibus fissuris apparent. Vehementer et majore copia infricatum, post horas paucas dolor, tumor. vesiculae ad crustas flavas exsiccantes cum parvis atque multis fissuris existunt. Crustae dein delapsae cicatriculas relinquunt. Ad labia aut genas applicatum haud raro ptyalismum provocat.

7. Joduretum Saturni. Pilulae ex eo pro dosi gr. $\frac{1}{8}$–$\frac{1}{4}$–$\frac{1}{2}$ sumuntur, externe medici adhibuerunt pomatum. Joduret. saturn. drachmam axung. porc. unciam, vel ad inunctiones vel ad ulcera obtegenda.

8. Jodnretum Sulphuris. Biett in multis exanthematibus chronicis uti Psoriasi, Lepra vulgari, Herpete pustuloso et Lichene agrio magno cum effectu adhibuit: Joduret. saturn. gr. v, axung. porc. scrup. v. In cute morbo non affecta pruritum, dolores pungentes, non minus erysipelas provocat. Alibert in Tinea favosa lotiones praestantissimo effectu instituit.

9. Joduretum Zinci Uré unguento usus est: Joduret. Zinc. drachmam adip. unciam S. semel vel bis per diem infricandum, contra tumorem album valde commendavit.

CURRICULUM VITAE.

Natus sum ego Carolus Julius Telke anno MDCCCX, Thoruni, patre Carolo Michaele mercatore, quem iam per septem annos mortuum lugeo, matre Anna e gente Wendea. Religioni evangelicae addictus sum. Primis, quas puer canere potest, institutionibus imbutus ab anno aetatis septimo frequentavi Gymnasium Thorunense. Mense Octobri anni MDCCCXXVII Berolinum me contuli, ubi civibus Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi adscriptus, per quatuor annos medicae artis studio operam navavi, virosque Illustrissimos de variis doctrinae medicae partibus audivi. Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia, Beat. Rudolphi de medicinae encyclopaedia, de anatomia corporis humani universali, de anatomia organorum sensuum, de entozoïs, nec non de physiologia. Beat. Knape de osteologia, splanchnologia et syndesmologia deque arte cadavera dissecandi, qua cum Beat. Rudolphi me instruxit. Beat. Hermbstaedt pharmaciam et chemiam, Cel. Turte physicen, chemiam et pharmaciam. Ill. Lichtenstein zoologiam. Ill. Link botanicen, historiam naturalem, toxicologiam et cryptogamiam, Cel. Eck physiologiam. Ill. Hufeland semioticen, pathologiam generalem, therapiam tam generalem quam specialem, Ill. Horn pathologiam specialem me docuerunt. Praelectiones frequentavi Beat. Hermbstaedt de oleis aethereis, Ill. Horn de morbis mentis et morbis syphiliticis, Ill. Schulz de botanice et materia medica, Cel. Casper de arte rite formulas medicas concinnandi et de medicina forensi, Ill. Osann de materia medica et fontibus Germaniae salutaribus, Ill. Kluge de arte fascias rite applicandi, de arte obstetricia, de Chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis et de akiurgia. Ill. Rust de chirurgia speciali, Ill. Juengken de ophthalmiatrice.

Praeterea interfui exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis et obstetriciis Ill. et Cel. virorum **Wolff**, Beat. **Hufeland**, **Bartels**, de **Graefe**, **Rust**, **Dieffenbach**, **Juengken**, **Kluge**, quibus omnibus de me eximie meritis gratias quam maximas habeo et semper habebo.

Quibus studiis peractis medici inferioris in nosocomio caritatis Berolinensi per annum, dein centuriae chirurgi munere per quinque annos functus sum atque adhuc fungor.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica Berolinensi peractis, spero fore, ut, dissertatione conscripta, et thesibus rite defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1) *Gangraena amputationem non vetat, sed interdum exigit.*

2) *Existunt morbi organismo salutares.*

3) *Sanguinis circulatio cordis solummodo motu efficitur.*

4) *Luna ex Jodio constat.*

5) *Jodium potius remedium antiphlogisticum quam phlogisticum esse contendo.*